

Les sources manuscrites de la théorie de la musique  
(S. IX-XVI)

---

Firenze, Biblioteca nazionale (I-Fn)  
II I 406 (Magliab. XIX 19), f. 5v  
Transcription : Christian Meyer  
(déc. 2000 – rév. nov. 2017)

<sup>1</sup> Ad habendum discantum artis musice, primo videndum est quod sit discantus et unde dicatur.

<sup>2</sup> Discantus est aliquorum cantuum diversorum concordancia sive consonantia in qua illi diversificantur per voces longas, breves, semibreves, proporcionaliter adequantur vel <sup>+</sup>proporcionari admixtio<sup>+</sup> designantur.

<sup>3</sup> Unde sciendum est quod ad discantus artem requiruntur XIII species scilicet unisonus, semitonium, tonus, semidictonus, dictonus, diatesseron, tritonus, diapente, semitonium cum diapente, tonus cum diapente, semidictonus cum diapente, dictonus cum diapente et diapason.

<sup>4</sup> Modo videndum est quid sit unisonus. Unisonus est quando due note vel plures sunt in loco uno vel in una linea vel in uno spacio, quod idem est. Et unisonus dicitur ab *unus, una, unum* et *sonus* quasi unus sonus.

<sup>5</sup> Semitonium est illa distancia quae est inter *mi* et *fa* et contrario et dicitur ab *semus -ma -mum* quod est imperfectus tonus.

<sup>6</sup> Tonus est illa distancia quae est inter *ut* et *re* et *re* et *mi* et *fa* et *sol* et *sol* et *la*, et dicitur a *phtongos*, quod est sonus quasi perfecte sonans, vel dicitur ab intonando.

---

<sup>5</sup> *semus*]semismus cod.

<sup>6</sup> *phtongos*] tangos cod.

<sup>7</sup>Semidictonus est coherencia toni et semitonii, ut *mi sol*, vel econtrario, vel *re fa* et econverso. Et dicitur a *semis sema semum* et *dictonus* quasi dictonus imperfectus.

<sup>8</sup>Dictonus est coherentia duorum tonorum et fit inter *ut* et *mi* et *fa* <et> *la* et dicitur a *dya* quod est duo et *tonus* inde dictonus quasi continens duos tonos.

<sup>9</sup>Diatesseron est disposicio quatuor vocum sese sequencium constans ex duobus <*tonis*> et semitonio et dicitur a *dya* quod est de et *terras* quod est quattuor et *saron* quod est vox quasi constans ex quatuor vocibus.

<sup>10</sup>Tritonus est disposicio quatuor vocum vel quinque continentium tres tonos et dicitur a *tris* quod est tres et *tonus*, quasi habens in se tres tonos.

<sup>11</sup>Dyapente est disposicio quinque vocum sese sequencium constans ex tribus tonis cum semitonio et dicitur a *dya* quod est de et *penta* quod est quinque.

<sup>12</sup>Semitonium cum diapente est illa species ut dictum est quae fit ex semitonio et diapente.

<sup>13</sup>Tonus cum diapente, ut dictum est <...>

<Semiditonius cum diapente...>

<sup>14</sup>Dictonus cum diapente, ut dictum est <...>

<sup>15</sup>Diapason est ultima species et habet omnes alias sub se et dicitur a *dya* quod est de et *pan* quod est totum et *son* quod est sonus, quasi de toto sonans, id est de omnibus speciebus sonans.

<sup>16</sup>Modo debetur scire quod ex istis tresdecim speciebus fiunt septem quae concordant et aliae sex discordant, id est ita [bene] non bene consonant. VII concordantes sunt iste, scilicet unisonus, tercia, quinta, sexta, octava, decima et duodecima. <sup>17</sup>Sciendum est quod ex istis concordantiae sunt aliquae perfecte, aliquae mediae, aliquae imperfecte.

<sup>7</sup> semitonii] semidictoni *cod.*

<sup>10</sup> tritonus est] tritonus ex *cod.*

<sup>17</sup> concordantiae] concordancii *cod.*

<sup>18</sup> Perfecte sunt iste scilicet unisonus, diapente quae alio vero nomine vocatur quinta, diapason quae alio nomine vocatur octava et diapente cum diapason quae alio nomine vocatur quinta supra octavam vel duodecima quod idem est.

<sup>19</sup> Medie sunt iste scilicet tercia, sexta et decima. <sup>20</sup> Modo sciendum est quod tercia est duplex, quia una fit ex dictono, id est ex duobus tonis perfectius et facit consonanciam in omnibus locis et ponitur in numero mediarum concordanciarum, id est non perfectarum. <sup>21</sup> Alia tercia fit ex tono et semitonio et ponitur in numero imperfectarum concordanciarum et non habet esse in omnibus locis, habet enim esse quandoque discantus tendit ad unisonum, id est ad cantum planum, hic habet locum tercia talis similiter.

<sup>22</sup> Sexta duplex est et fit ex tono perfecto et dyapente, id est quinta, et ista ponitur loco mediarum concordanciarum vel numero. <sup>23</sup> Alia vero sexta omnino discordabilis, quae fit ex semitonio et quinta, quamvis per aliquos propter raciones alias et numeros posita sit inter imperfectas concordancias.

<sup>24</sup> Idem iudicium est de decima et de tercia, quia sicut se habet tercia supra unisonum sic et tercia supra octavam, et facit decimam illa et enim tercia, quae constat ex duobus tonis perfectis supra octavam posita, facit decimam, quae ponitur in numero mediarum concordantiarum. <sup>25</sup> Alia decima, quae fit ex semiditono cum octava, ponitur in numero imperfectarum concordanciarum, et se habet sicut tercia supra unisonum posita. Et ista sufficiunt quantum ad cognoscendum differencias concordanciarum et specierum.

<sup>26</sup> Etiam omnis discantus debet incipi et finire per perfectas concordancias videlicet per unisonum, per quintam, per octavam aut per duodecimam secundum ascensus vel descensus plani cantus.

---

<sup>25</sup> semiditono] semitonio *cod.*

<sup>26</sup> per<sup>1</sup>] propter *cod.*

<sup>27</sup> Septem sunt species discantus principales scilicet unisonus, diapason, diapente, dyatesseron, dictonus, semidictonus et tonus cum diapente. Ex hiis quedam sunt perfecte quedam imperfecte.

<sup>28</sup> Tres sunt perfecte, scilicet unisonus, diapason, diapente. Alie quatuor sunt imperfecte et volunt perfici per praedictas tres : ita quod diatessaron semper perficitur per octavam recipiendo cum tribus aliis et aliter nichil valeret.

<sup>29</sup> Semidictonus et dictonus requirunt perfici per diapente cantu descendente, cantu ascende nte per unisonum. <sup>30</sup> Tonus cum diapente vult perfici per diapason cantu ascende nte, cantu descendente per quintam supra duplum quae reducitur ad diapente.

<sup>31</sup> Diapente continet tres tonos cum semitonio.

<sup>32</sup> Diapason continet quinque tonos cum duobus semitoniiis et potest fieri ubicunque in manu.

<sup>33</sup> Quinta valet diapente non in illis locis in quibus sunt *fa mi, mi fa* et econverso nisi per falsam musicam.

<sup>34</sup> Falsa musica est facere mutaciones non usitatas.

<sup>35</sup> In Gamma duo sunt signa scilicet # et b. Ubique invenimus # dicimus *mi* ubique invenimus b dicimus *fa*. Semitonium semper est inter *mi* et *fa* et econverso.

<sup>36</sup> Si cantus ascendit tonum, discantus existens in diapason debet descendere semiditonum et tunc erit in diapente. <sup>37</sup> Verbi gratia cantus existens in ·C·faut et ascendit in ·D·solre, discantus existens in diapason [et] in ·c·solfaut debet descendere in ·a·lamire et erunt in quinta.

<sup>38</sup> Si cantus ascendit dictonus vel semidictonus, discantus existens in diapason <...>

<sup>33</sup> sunt] sol cod.

<sup>36</sup> semiditonum] semitonium cod.

<sup>38</sup> signum] sequitur crucem in circulo | diapason] sequitur retro ante organum ad tale signum add. cod.